

uxor. l. 20. C. de jur. dot. ac eundem à quocunque posses-
 fore, etiam ipsa uxore vindicare potest. l. 24. ff. rer. amot.
 Et quamvis hoc mariti dominium fundi dotalis interdum
 revocabile tantum sit, ac ipse soluto matrimonio vel uxo-
 ri, vel ejus heredibus, vel aliis dotem constituentibus,
 ac eandem sibi restitui stipulantibus reddere teneatur. t. t.
 solut. matrim. l. un. C. de rei uxor. act. atque sic usufru-
 ctuario perquam similis esse videatur, qui hac in materia
 pro possessore non habetur. b. l. 15. §. 1. attamen hoc ni-
 hil impedit, quo minus maritus quoque recte pro posses-
 sore habeatur, & à satisfactione liberetur. Plus enim ju-
 ris habet in fundo dotali maritus, quam usufructuarius
 in re usufructuaria. Ille siquidem verus est rei dotalis
 dominus, eandemque civiliter possidet: aut si possessi-
 onem amiserit, ipsam rem Rei Vindicatione à quocunque
 possessore repetere ac vindicare potest. dd. ll. usufructua-
 rius vero nec dominus rei usufructuariae est. pr. l. de Usufr.
 l. 25. de V. S. nec eandem civiliter, sed tantum naturaliter
 possidet. l. 12. §. 1. de acquir. & amitt. poss. & si amiserit
 illam, confessoria ipsum usumfructum vindicat. t. t. si us-
 ufr. petat. Nec tam facile maritus jus suum, quod in
 fundo dotali habet, amittit, quam ipse ususfructus cum
 proprietate consolidatur.

§. IX. IV. MARITO ADIVNGITVR UXOR,
 QVÆ FVNDVM IN DOTEM DEDIT; hisce verbis:
 Si fundus in dotem datus sit, tam uxor, quam maritus pro-
 pter possessionem ejus fundi possessores intelliguntur. §. 3. Li-
 cet enim hujus fundi dominium in maritum sit transla-
 tum, per ea, quæ ad præcedentem th. dicta sunt: quia
 tamen soluto matrimonio dos finitur, ejusdemque do-
 minium ad uxorem revertitur, proinde etiam constante
 ma-